

Bolletí de la Societat Arqueològica Luliana

PALMA.—MARS DE 1906

SUMARI

I. Reclamacions de les filles den Sanxo de Mallorca contra la confiscació de bens imposada a son pare per feel seguidor de Jaume III, per *D. E. K. Aguiló*.

II. Un préstech dels habitants de Mallorca a Jaume III (1339), per *D. P. A. Sanxo*.

III. Anales de Mallorca, por D. José Desbrull—1800 á 1833, (continuación) por *D. Jaime L. Garau*.

IV. Cartes del P. Antoni Moranta, jesuita, a sa mare la senyora Praxedis Caldentey, per *D. E. K. Aguiló*.

RECLAMACIONES DE LAS FILLES DEN SANXO DE MALLORQUES CONTRA LA CONFISCACIÓN DE BENS IMPOSADA A SON PARE PER FEEL SEGUIDOR DE JAUME III

Anno Domini M.º CCC.º xl quarto, xvij kalendas febrerii.

Cum propter rebellionem incliti Jacobi olim Regis Majoricarum bona nobilis Sancii de Majoricis sint confiscata fischo domini Regis, ex eo quia dictus nobilis sequitur et est continue cum dicto Jacobo olim Rege, propterea dictus dominus Rex mandavit venerabilibus Bertrando Rubei et Bernardo de Moraria, procuratoribus regiis in Majoricis, cum littera sua, quod bona omnia que inuenirentur fore dicti nobilis Sancii, ac etiam omnia debita que sibi deberentur quavis causa vel ratione, acciperent ad manus suas tamquam fischo regio confiscata.

Vigore cujusquidem mandati venerabiles procuratores regii mandarunt Berengario Ferrarii preconi curie ciuitatis Majoricarum, fieri preconizationem infra sequentem, videlicet die sabati intitulata xvij kalendas febrerii anno

Domini M.º CCC.º xl.º quarto. Tenor autem dicte preconizationis sequitur sub his verbis:

Ara oiats queus manen los procurados del patrimoni del senyor Rey que tot hom de qual que condicio sia que degues res ni tingues possessions ne honors o rendes o altres drets del noble en Sanxo de Mallorca ho deia denunciar als dits procurados dins viij. dies primer vinents; en altra manera passats los dits viij. dies lus seria demanat per furt. Encara manen que totom qui dega hauer accion o questio contra los dits bens queu haja denunciat als dits procurados dins los dits viij. jorns, en altra manera passats los viij. dies nols ho rien lurs demandes ne accions.

Postea die veneris intitulata xij. kalendas febrerii anno predicto, comparuerunt Petrus Masdela, curator filiarum dicti nobilis, et Francischus Onberti et Guillelmus Barenys, (Banyeres) tamquam conjuncte persone filiarum dicti nobilis, et obtulerunt infra scripta per modum denunciationis:

Primo quod filie dicti nobilis habent in et super bonis genitoris earum videlicet pro dote matri earum mille nongentas quinquaginta sex libras quinque solidos quatuor denarios.

ij. Item quod habent in et super bonis dicti genitoris earum pro augmento ipsarum matris quingentas libras.

iiij. Item quod habent in et super dictis bonis pro augmento vxoris que quondam fuit Ferrarii de Rosilione, ducentas quinquaginta libras.

iiij. Item quod habent in et super dictis bonis ratione cujusdam cupe et sex ciforum et quatuor tacearum argenti, ac etiam ratione

unius corrigie et aliquarum aliarum rerum que data fuerunt earum matri die videlicet nuptiarum ejus, centum quinquaginta libras.

v. Item quod habent in et super dictis bonis pro quibusdam anulis auri et aliquibus aparatibus quos earum mater attulit dicto ejus viro, que quidem bona fuerunt Ferrarii de Rosilione, centum sexaginta libras.

vj. Item dixerunt predicti Franciscus Omberti et G. de Banyeres quo supra nomine, et dictus Petrus Masdela ut procurator domine Cabrida, quod dicte filie habent in et super dictis bonis ratione prouissionis earum et vnus puelle, videlicet de vno anno et amplius, octuaginta libras.

Que quidem omnia supradicta per dictos Petrum Masdela et Francischum Omberti et Guillelmum Barenys nominibus quibus supra in vniversum petita, sunt tres mille nonaginta sex libre quinque solidi quatuor denarii.

De quibus omnibus supradictis Johannes Carnicerii, procurator fisci, petiit sibi dari copiam seu transumptum, que fuit sibi concessum.

Postea vero die martis intitulata vj. idus febrerii anno predicto, comparuit predictus Johannes Carnicerii, fisci procurator, et obtulit que sequuntur:

Et Johannes Carnicerii, fisci procurator, dicit et protestatur quod in predictis seu predictorum aliquibus non procedatur nisi eo primitus citato et audito, quum ipse quo supra nomine vult se opponere in predictis, quare videntur prejudicialia juri fiscali.

Dicit etiam et protestatur quod non est in predictis procedendum per modum intentatum per petentes predicta, quare protestatur dictus fisci procurator de nullitate et inefficacia omnium predictorum.

Dicit etiam et requirit dictus fisci procurator quod tradantur sibi instrumenta et omnes alie scripture reperte que faciant in aliquo pro dicto nobili Sancio de Majoricis, in cujus bonis succedit fisci, ut possit videre et deliberare visis ipsis super defensionibus juris fiscali. Attamen saluis requisicionibus et protestationibus supradictis, et etiam protestato quod non habeatur pro responso si de jure responderi non debet, juraque saluo dictarum ineptarum petitionum, ipse fisci procurator negat contenta

in qualibet excepcionibus supradictis quatenus contra fiscum facere videantur, maxime cum sibi non constet quod petita per predictos seu ipsorum aliquem in veritate consistant.

.....
.....

Post hec die lune intitulata pridie kalendas marcii anno predicto comparuit predictus Petrus Masdela quo supra nomine et obtulit in scriptis que sequuntur:

Cum ob maritorum culpas uxores inquietari leges vetent, et propterea si res que fischo occupate sunt domini mulieris seu ejus heredum esse probabuntur, competens iudex debet facere illas reddi, ut per hoc jus publicum obseruetur; et de jure, matrimonio dissoluto, iuribus dotalibus vendicandis, siue mobilibus siue immobilibus seu semouentibus, dummodo existant, siue extimatis siue inextimatis sint, uxorem seu ejus heredes prerogatiuam habere certum sit; et neminem creditorum mariti, esto quod anteriores existant, posse sibi potius tamen in hiis per ypotecam vendicare, cum tales res et ab inicio uxoris fuerint et naturaliter in ejus seu heredum suorum permanserint dominio; nec ideoque legum subtilitate transitus earum in mariti patrimonio fieri videtur rei veritas domini uxoris seu heredum ipsius delecta vel confusa sint, etiamque deceat creditores penis fiscalibus anteferri. Hinc est quod cum vos venerabiles domini Bn. de Moraria et Bertrande Rubei procuratores regii in regno Majoricarum, occupaueritis bona omnia que possidebat in dicto regno nobilis Sancius de Majoricis, que quidem bona re vera sunt et pertinent Sclarmunde et Constancie filiabus dicti nobilis Sancii et heredibus universalibus domine Saure earum matris uxorisque dicti nobilis quondam, tamquam illa que sunt dotalia et fuerunt portata in dotem dicto nobili per dictam dominam Sauram earum matrem quondam tempore nuptiarum ipsorum, ut constat serie cujusdam publici instrumenti clausi manu Johannis Taularii notarii Majoricarum vij. idus febrerii anno Domini M. CCC. xxx. quod de presenti vobis exhibeo ego Petrus Masdela curator datus ad lites heredum supradictarum, non cancellatum nec abolitum neque ex quacumque sue forme parte viciatum, set in prima sui figura aprens et deposicionibus testium legitimi nu-

meri vallatum; et ut premissum est in vendicatione dictorum bonorum, predicte heredes ceteris preferantur tam per in rem accionem, nisi ex naturali jure earum esse intelligantur, quam per ypotecariam, nisi secundum subtilitatem legum ad dicti nobilis substanciam peruenisse dicantur, ut per utramque viam siue in re siue ypotecariam eisdem heredibus plenissime consulatur. Pro tanto ego dictus curator nomine dictarum heredum, peto per vos dictos dominos procuratores regios predicta bona omnia ipsis heredibus tradi et restitui de presenti, rationibus supradictis, justicia mediante. Constat autem de institutione dictarum heredum per testamentum dicte domine Saure, clausum manu Guillermi Vedelli notarii Majoricarum xij.^o kalendas Augusti anno Domini M.^o CCC.^o quadragesimo secundo, de quo, si id vobis exhiberi volueritis, paratus sum copiam vobis facere in presenti.

Tenor vero dicti instrumenti dotalicii talis est.

In Dei nomine. Nouerint uniuersi quod ego Bremundus de Sarabou domicellus, filius Guillermi de Sarabou militis quondam, nuncius seu procurator misus et constitutus a nobili domino Sancio de Majoricis, filii incliti domini infantis Ferrandi de Majoricis, filii illustrissimi principis domini Jacobi felicis recordationis Regis Majoricarum, ad matrimonium per verba de presenti contrahendum vobiscum domina Saura, filia venerabilis Ferrari de Rosilione quondam, vt patet per publicum instrumentum confectum Perpiniani auctoritate Bernardi Jauberti scriptoris publici Perpiniani xj.^o kalendas novembris anni presenti, nomine dicti nobilis domini Sancii de Majoricis et auctoritate dicte procuracionis et ex potestate per ipsum nobilem mihi data et atributa, accipio in vxorem dicti nobilis vos dictam dominam Sauram, et ipsum nobilem dono et trado vobis in virum legitimum et maritum. Pari quidem modo ego dicta Saura, de voluntate et consilio et consensu domine Francisce, vxoris Petri Cabrit quondam, auie mee maternelis et tutricis accuratricis mee testamentarie, Bernardi Omberiti, Francisci Durandi, Ferrarii Aragones, Petri de Cardona, Francisci Omberti, Guillermi de Banyeriis et Guillermi Alanyani, consangui-

neorum et afinium, et aliorum amicorum meorum, accipio in maritum meum legitimum dictum nobilem dominum Sancium de Majoricis, licet absentem tamquam presentem, in posse vestri dicti venerabilis Bremundi de Serabou eius nuncii et procuratoris jam dicti, et in posse notarii subscripti, nomine ipsius nobilis legitime stipulantis et recipientis, et corpus meum eidem nobili dono et trado pro uxore legali. Et nunc nostrarum tempore nuptiarum adduco seu porto et constituo eidem nobili et vobis nomine ipsius in dotem et nomine dotis mee omnia et singula bona mobilia et semouentia et immobilia subscripta, ad infrascriptam quantitatem de comuni concordia inter vos et dictos afines et amicos meos extimata et apreciata, et etiam sub pactis, condicionibus et retentionibus infrascriptis. Primo quidem dono et constituo ut predicatur in dotem meam eidem nobili domino Sancio de Majoricis, quandam alqueriam, cum omnibus iuribus tenedonibus et pertinentiis ipsius, extimata et apreciata ad sexcentas libras bone monete regalium Majoricarum minorum, que alqueria est sita in termino de Muntuerio, et affrontatur ex una parte cum tenedone Guillermi Colelli, et ex alia parte cum tenedone Antonii Rouira, et ex alia in possessionibus alquerie de Pina, et ex alia parte in tenedone Petri Seruera.—Item quandam aliam alquarea sitam in termino ciuitatis Majoricarum, in Plano de Catino, extimatam ad septingentas quinquaginta libras dicte monete; et afrontatur dicta alquarea ex una parte cum itinere quo itur apud Sineu et Muntueri, et ex alia parte in tenedone Ferrarii sa Serra (?), et ex alia parte in tenedone Arnaldi de Lupiano, et ex alia parte in tenedone Alfonsi Bosch, et ex alia parte in tenedone Azberti de Matis.—Item quandam vineam extimatam ad quingentas libras dicte monete, que vinea est situata in termino ciuitatis Majoricarum, in loco de Puyg-punyent; et afrontatur ex una parte cum via qua itur a Puyg-punyent, et ex alia parte cum vinea Jacobi de Comabella, et ex alia parte cum vinea heredum Petri de Cauleles quondam et cum vinea de na Paracols, et ex alia parte cum quadam garriga que est de tenedone dicte vinee, que garrigia affrontatur ex duabus partibus cum duabus viis publicis.—Item quoddam hospicium situm id ciuitate Majoricarum in Al-

mudayna, extimatum ad octingentas libras dicte monete; et affrontatur ex duabus partibus cum via publica, et ex alia parte in hospicio Precentoris Sedis Majoricarum, et ex alia parte in hospicio Petri Gerona presbiteri epdomadarii Sedis Majoricarum.—Item viginti quinque libras regalium Majoricarum rendales seu annuales, quas dictus pater meus quondam recipiebat, et ego ex successione ipsius recipio et recipere debeo annuatim, in et super thesaurarie domini Regis pro quodam equo armato, quem ut heres dicti patris mei inde facere teneor ad tuitionem terre et regni Majoricarum, prout in instrumento inde concesso dicto quondam patri meo per serenissimum dominum Jacobum felicis recordationis Regem Majoricarum laciis continentur, cuius data fuit in Palacio Regis ciuitatis Majoricarum idus augusti anno Domini M.^o CCC.^o decimo; quod quidem instrumentum fuit subsignatum per Laurencium Plasença scriptorem ipsius domini Regis. Que quidem viginti quinque libre extimate fuerunt ad ducentas libras jam dicte monete.—Item adduco et nomine dotis mee trado eidem nobili quamplurima bona mobilia et semouencia, videlicet seruos et animalia, et superlectilia et arnesia et apparatus dictarum alquariarum et ospicii, extimata ad mille centum nonaginta vnam libras et vnum solidum. Que quidem quantitates predictae, ad quas vt predicatur dicta omnia bona immobilia fuerunt extimata prout superius est distinctum et declaratum, ascendunt ad summam duarum milium trecentarum quinquaginta librarum; et sic inter extimationem bonorum immobilium et mobilium et semouencium dicte quantitates summam capiunt in uniuerso quatuor milium quinquaginta vnus libre; de quibus deductis inde duabus milibus nonaginta quatuor libris et quatuordecim solidis et octo denariis, ad quas predicta bona sunt obligata ratione debitorum in quibus dictus pater meus quondam tenebatur et erat obligatus, restant quitie et netos mille nongente quinquaginta sex libre, quinque solidi et quatuor denarii predictae monete. (1) Que quidem omnia et singula bona predicta,

(1) Totes aquestes sumes y restes estan equivocades; els bens inmoebles, segons la extimació feta de cada un d'ells, pujen 2850 lliures, y ab els mobles, robes, joyes y arnesos de casa, 4041 lliures 1 sou. En net, deduides 2094 lliures 14 sous 8 dels deutes, resten no mes 1946 lliures 6 sous 4; la dot, no obstant, se conta sempre en tot el procés de 1956 lliures 5 sous 4 diners.

tam immobilia quam mobilia et semouencia, constituo me in presenti et ex tunc nomine et vice dicti nobilis domini Sancii de Majoricis, et vestri dicti venerabilis domini Bremundi de Sorabou (1) ejus nuncii et procuratoris, possidere, donec inde dictus nobilis aut vos vice ipsius aut quiuis alii ejus nomine, possessionem corporalem seu naturalem vel quamcumque aliam, de jure vel de facto, aprehenderit de eisdem; in quam possessionem intrandi et adipiscendi, et adeptam licite retinendi, eidem nobili seu vobis ejus nomine seu quibusuis aliis eidem nobilis voluerit seu mandauerit quando-cumque, plenam confero potestatem. Cedens nichilominus eidem nobili domino Sancio et vobis dicto venerabili Bremundo de Serabou, ejus nomine recipienti, et subscripto notario ut predicatur stipulanti legitime et recipienti, omnia loca mea, jura, vices, voces, rationes et acciones, reales et personales, mixtas, utiles et directas et rei persecutorias, (et) alias quascumque in predictis habeo et habere debeo et mihi competunt et competere possunt aut debent aliquo modo, jure vel causa seu etiam ratione; quibus juribus et accionibus meis predictis idem nobilis et sui et quos voluerit possit adversus quascumque personas et eorum bona, in iudicio et extra, uti, agere et experiri, ipsumque deffendere et tueri, agendo et defendendo, et omnia alia et singula faciēdo quocumque ego poteram facere ante confeccionem hujusmodi instrumenti. Constituendo in hiis dictum nobilem in rem suam dominum et procuratorem, ad agendum videlicet, defendendum, dandum, vendendum, impignorandum et quocumque alio titulo transferendum et alienandum, et inde faciendum suas omnimodas voluntates. Saluo semper in predictis sensu, jure directo, dominio, laudimio et fatica dominorum pro quibus tenentur bona immobilia predicta. Quas quidem mille nongentas quinquaginta sex libras quinque solidos et quatuor denarios dotis mee ego habeam, teneam, possideam et expletem, cum marito et sine marito, cum infante et sine infante, cunctis diebus vite mee. Post mortem vero meam dicte mille nongente quinquaginta sex libre et quinque solidi quatuor denarii reuertantur infanti seu infantibus ex dicto nobili

(1) Sancii de Majoricis repeteix el document per equivocació.

et me procreatis et natis. Fuit tamen retentum et inter partes in pactum deductum, quod in hoc casu, videlicet si me dictam Sauram mori contigerit remanentibus liberis ex me et dicto nobili procreatis, quod retentis ipsis liberis mille libris de dote predicta, ego dicta Saura possem de residuis nongensis quinquaginta sex libris quinque solidis quatuor denariis facere omnimodas meas voluntates. Et si ad obitum meum infans vel infantes ex dicto nobili et me procreati et nati superstites defuerint, quod Deus auertat, dicte mille nongente quinquaginta sex libre et quinque solidi et quatuor denarii dicte dotis reuertantur illi vel illis personis quibus ego dicta Saura mandauero verbo vel scripto. Est enim actum et in pactum deductum in tractatu huiusmodi, quod iamdictus nobilis dominus Sancius tenetur soluere dictas duo millia nonaginta quatuor libras et quatuordecim solidos et nouem denarios ad quas soluendas ut predicatur dicta bona obligata existunt ratione et occasione dictorum debitorum, et quas Ferrarius de Rossilione pater meus debebat et obligatus erat. Quas quidem duo millia nonaginta quatuor libras quatuordecim solidos et octo denarios ego dicta Saura confiteor et recognosco quod vos dictus venerabilis Bremundus de Serrabou, nomine procuratorio predicti nobilis domini Sancii, exsoluistis et illas conuertistis in solutionem illorum debitorum quibus dicta [bona] quondam dicti patris mei erant obligata. Renunciando super hoc exceptioni dictorum debitorum per vos nomine predicto non solutorum. Est etiam conditum et in pactum deductum quod si me dictam Sauram premori contigerit sine liberis ex me et dicto nobili procreatis, quod absit, quod dictus nobilis Sancius et suis in hoc casu possint sibi, si eidem domino nobili Sancio aut suis placuerit, retinere predicta omnia et singula bona, mobilia, semouencia et immobilia, pro iamdictis pecunie quantitibus ad quas ipsa bona extimata fuerunt, quas ipse solui fecit ut est dictum, et soluendo et restituendo dotem dicte domine Saure vel successoribus suis vel illis quibus ipsa mandauerat verbo vel scripto. Et versa vice fuit actum et conditum et inter partes in pactum deductum, quod si dictum nobilem dominum Sancium premori contigerit sine infante vel infantibus procreatis et natis ex ipsis ambo-

bus, quod Deus auertat, quod ipse dominus Sancius et successores sui possint ordinare de dictis bonis et illa sibi retinere ut est dictum. Et si dictus nobilis dominus Sancius vel successores eiusdem dicta bona non elegerint retinenda, quod ego dicta Saura pro dote mea possim tunc in dicto casu mihi et meis retinere omnia bona predicta, me tamen soluente successoribus dicti nobilis domini Sancii illas pecunie quantitates quas dictus nobilis seu alii pro eo soluerint vel solui fecerint pro obligationibus seu debitis aut comandis in quibus dictus Ferrarius Rossilionis pater meus seu bona predicta et ego ut heres ipsius erant obligata usque ad quantitatem dictarum duarum millium nonaginta quatuor librarum quatuordecim solidorum et octo denariorum; sic tamen quod in utroque casu sit electio dicto nobili domino Sancio ad retinendum bona predicta ut est superius expressatum. Et in eo casu in quo dictus nobilis dominus Sancius vel sui eligerent recuperare dictam pecunie quantitatem dictarum duarum millium nonaginta quatuor librarum quatuordecim solidorum et octo denariorum, et non dicte bona retinere, fuit conuentum inter partes quod dictus nobilis dominus Sancius possit omnia et singula bona predicta retinere tantum et tamdiu donec dicto nobili et suis per dictam Sauram aut successores suos plenarie et integre fuerit satisfactum in predictis duabus millibus nonaginta quatuor libris quatuordecim solidis et octo denariis; quod in hoc casu fructus non computentur iamdicto nobili aut successoribus suis in sortem, sed illos habeat tunc ut ex nunc ex pura donatione et mera liberalitate, sine contradictione quacumque.

Ad hec ego dictus Bremundus de Serabou, nomine et auctoritate predictis, laudans et concedens omnia et singula predicta et eisdem consentiens, confiteor et in veritate recognosco vobis dicte domine Saure et vestris me habuisse et recepisse a vobis nomine dotis vestre ut predicatur omnia et singula bona predicta, extimata ut superius continetur. Et ideo renuncians exceptioni predictorum bonorum non receptorum et dotis predicte non habite et non recepte, et doli mali atque in factum, auctoritate et ex potestate michi attributa a dicto nobili domino Sancio de Majoricis, et propter ves-

tram dotem michi per vos traditam vt predictur, et ratione vestre virginitatis, facio vobis augmentum et donationem propter nuptias juxta consuetudinem Majoricarum de quadringentis octuaginta octo libris et vno solido quatuor denariis dicte monete. Et sic sunt in summam inter dotem et augmentum duo milia quadringente quadraginta quinque libre sex solidi et octo denarii, quas nomine et auctoritate predictis vobis et vestris saluo assigno et assecuro habendas tenendas et jure vestri sponsalicii possidendas et recuperandas in omni casu et euentu restituende dotis super omnibus et singulis bonis dicti nobilis domini Sancii, presentibus et futuris. Que quidem omnia bona sua nomine et auctoritate predictae procuracionis et ex potestate michi ab eo data et concessa, vobis et vestris pro predictis obligo de presenti; et habeatis teneatis et possideatis et expletetis dictas duas milia quadringentas quadraginta quinque libras sex solidos octo denarios, inter dotem et augmentum, cunctis diebus vite vestre, cum marito et sine marito et cum infante et sine infante. Et in obitu vestro fiat de predictis mille nongentis quinquaginta sex libris quinque solidis quatuor denariis dotis vestre prout superius est expressum; dicte vero quadringente octuaginta nouem libre vnus solidus quatuor denarii augmenti predicti reuertantur post obitum vestrum infanti vel infantibus ex ipso nobili et vobis procreatis et natis. Et si ad obitum vestrum infans vel infantes ex ipso nobili et vobis procreati et nati superstites defuerint, quod Deus auertat, dicte quadringente octuaginta nouem libre prefati augmenti reuertantur dicto nobili domino Sancio vel suis aut sui vel quibus ipse voluerit iuserit seu mandauerit verbo seu etiam testamento. Actum est hoc Majoricarum septimo idus febroarii anno Domini millesimo CCC^o tricessimo. Sig † num Bremundi de Serabou predicti. Sig † num domine Saure, predictorum qui hec laudamus et concedimus et firmamus. Sig † num domine Francisce uxoris Petri Cabrit quondam auie mee. Sig † num Bernardi Omberti. Sig † num Francisci Durandi. Sig † num Ferrarii Aragones. Sig † num Petri de Cardona. Sig † num Francisci Omberti. Sig † num Guillermi de Banyeriis. Sig † num G. Alanyani predictorum, qui predicta, de assensu et voluntate nostri facta, laudamus et firmamus.

Testes hujus rei sunt: Venerabilis Brg. de Santa Cilia miles, vices gerens locumtenentis Majoricarum, et discretus Arnaldus Muntanerii legum doctor; venerabilis Raymundus de Crexello miles et Otho de Parietibus tortis, et discretus P. de Clayrano jurisperitus. Sig † num mei Johannis Taulari, auctoritate serenissimi domi Regis Majoricarum notarii publici per totum regnum suum, qui predictis omnibus interfui et eadem scribi et in mundum redigi feci et clausi premiso meo solito et publico signo Constat vero de suprascripto.....

Hoc est transumptum testamenti domine Saure, uxoris nobilis Sancii de Majoricis, tenor cujus sequitur sub hiis verbis:

In Dei nomine et ejus sancte et indiuidue Trinitatis, Patris et Filii et Spiritus Sancti, amen. Nos Saura, uxor nobilis Sancii de Majoricis, egra corpore set fortis et compos mente, et in nostro bono sensu et memoria integra, facimus et ordinamus nostrum testamentum, in quo eligimus nostros manumistores et hujus nostre vltime voluntatis executores videlicet dictum nobilem Sancium maritum nostrum, et Francischum Omberti ciuem Majoricarum cognatum nostrum, quos rogamus et eis et cuilibet ipsorum in solidum plenam conferimus potestatem, ut si nos mori contigerit antequam aliud nobis condere liceat testamentum, quod ipsi, sine eorum dampno et detrimento rerum suarum, compleant et exequantur et compleri et exequi faciant de bonis nostris, ea omnia et singula que inferius fieri et compleri ac exequi mandamus.

In primis jubemus atque mandamus corpus nostrum sepeliri, et nostram elegimus sepulturam in cimiterio Beate Marie Sedis Majoricarum, scilicet in tumulo in quo corpus siue cadauer venerabilis domini Ferrarii de Rosilionis patris nostri quondam fuit sepultum.

Et accipimus de bonis nostris pro anima nostra, et pro sepultura nostra fienda, et etiam pro legatis infra scriptis et expressatis soluendis, quinque millia solidorum regalium Majoricarum minorum monete perpetue; de quibus dimitimus cuilibet hospitalium ciuitatis Majoricarum quindecim solidos amore Dei.

Item legamus seu dimitimus dominabus de Sancta Clara et dominabus de Sancta Marga-

rita, cuilibet istorum locorum, vt orent Deum pro anima nostra, viginti solidos.

Item dominabus de penitencia et dominabus beguinis tercię regule Beati Francisci, vt oret Deum pro anima mea, cuilibet istorum locorum decem solidos.

Item legamus fratribus ordinis Sancte Marie Carmelitane constituti in Majoricis, vt orent Deum pro anima mea et vt cantent missas, viginti solidos.

Item legamus fratribus minoribus ordinis Beati Francisci constituti in Majoricis, et fratribus predicatoribus ordinis Beati Dominici constituti in Majoricis, scilicet cuilibet istorum locorum vt orent Deum pro anima nostra et celebrent missas et diuina officia, quadraginta solidos monete predictę.

Item legamus sanctę confratrię Sedis Majoricarum predictę, scilicet operis ecclesię Sancte Marie, cuius confratrisse sumus, xxx. solidos, et volumus quod totum id quod ipsi confratrię inueniatur per nos deberi soluat eadem operi de bonis nostris, videlicet ex dictis quinque milibus solidis.

Item legamus operi Sancti Martini de la Coua insule et diocesis Majoricarum, decem solidos.

Item operi ecclesię Sancte Marie Magdalene Podii Inche, quinque solidos.

Item operi ecclesię Sancte Caterine portus Sullaris.

Item operi ecclesię Beate Marie de Lucho quinque solidos; et operi ecclesię Sancti Georgii de plano ciuitatis de Catino, quinque solidos.

Item legamus operibus ecclesiarum parochialium Sancte Eulalie, et Sancti Michelis, et Sancti Nicholay, et Sancti Jacobi, et Sancte Crucis, cuilibet ipsorum locorum, quinque solidos.

Item legamus basino pauperum vercumdancium et basino captiuorum xpianorum, redimendorum a posse sarracenorum, qui tenentur in Sede Majoricarum, decem solidos, scilicet cuilibet.

Item legamus processioni capellanorum, clericorum et presbiterorum, que interfuerit corpori nostro sepeliendo, centum solidos.

Item legamus sacrestię dicte Sedis decem solidos.

Item volumus et mandamus quod emanent quatuor morabatini censuales et rendales sub

jurisdictione ecclesię, de quibus fiat vnum anniuersarium perpetuum quolibet anno in Sede et ecclesia Sancte Marie predicta, quolibet anno in tali die qua obierimus, vel prout melius fieri poterit, per presbiteros ipsius ecclesię, qui celebrent missas quolibet anno ad honorem Dei, et absoluant super tumulo nostro et pro anima nostra et parentum nostrorum et aliorum benefactorum nostrorum.

Item legamus domine Francisce auie nostre, matrique domine Caterine matris nostre, uxorisque dicti patris nostri quondam, viginti quinque libras dicte monete.

Item legamus domine Blanque sorori nostre ex parte patris, uxorisque dicti Francisci Omberti, xv. libras dicte monete; et cuilibet filiorum et filiarum dicte domine Blanque sororis nostre, quinquaginta solidos.

Item legamus domine Blanque uxori den Cardona quondam, amite nostre sorori dicti patris nostri quondam, centum solidos.

Item legamus domine Francisce amite nostre siue tia, uxori Guillermi Alanyani ciuis Majoricarum, centum solidos.

Item legamus domine Nicholaue uxori den Canyeles, quinquaginta solidos.

Item legamus Alamande, lactrici siue dida Sclarmunde filie nostre, xx. solidos.

Item, Sobirane, lactrici siue dida Constancie filie nostre, xx. solidos.

Item legamus domine Gombaule consanguinee nostre, quinquaginta solidos. Item filie sue majori xxv. solidos.

Item legamus domine Berengarone, socię siue companyona nostre, decem libras.

Item legamus Bartholomeo, scutifero dicti nobilis viri nostri, quadraginta solidos.

Item Pericono Vitali, de domo dicti nobilis viri nostri, xx solidos.

Item an Riba, de domo dicti nobilis viri nostri, xx solidos. Et Francischo, de domo dicti nobilis, xx. solidos.

Item legamus Monete, filie Petri Bernardi domicelli, socii dicti nobilis viri nostri, centum solidos.

Item legamus puellis maritandis ad honorem Dei omnipotentis, triginta libras dicte monete.

Et solutis omnibus dictis legatis tam piis quam aliis superius contentis, de superfluo dictorum quinque milium solidorum quos superius accepimus de bonis nostris, volumus et mandamus sepulturam nostram fieri, ad honorem Dei et humani generis xpiani, ad cognitio-

nem dictorum manumissorum meorum et prout eis ad honorem Dei et ecclesie Sancte videatur fore facienda; et id quod superabitur ex ipsis quinque milibus solidis detur ad missas canendas in ecclesia Sancte Marie Sedis predictae et in aliis ecclesiis ciuitatis Majoricarum, et ad puellas de genere meo et alias maritandas, ad cognitionem ipsorum nostrorum manumissorum et prout eis melius videatur fore faciendum, primo retentis dicto Francisco Omberti xx. solidos, quos eidem legamus pro onere hujus manumissorie.

Item legamus de aliis bonis nostris dicto nobili Sancio marito nostro ducentas libras regalium Majoricarum minorum.

In omnibus autem aliis bonis nostris et iocalibus et iuribus ubique nobis pertinentibus et pertinere debentibus quoquomodo, instituimus nobis heredes vniuersales Sclarmundam et Constantiam, filias comunes nobis et dicto nobili viro nostro, et alios filios et filias nobis et dicto viro nostro comunes, si aliquos vel aliquas habuerimus medio tempore natos et natas et postumos et postumas, equis portionibus. Et si altera ipsarum duarum filiarum nostrarum, vel aliorum vel aliarum filiorum et filiarum medio tempore natorum et natarum vel postumorum et postumarum, si aliquos habuerimus, nobis heres vel heredes non fuerint, vel fuerint et postea quandacumque sine liberis legitimi conjugii obierint, instituimus nobis viuam et viuos remanentes, et ipsas et ipsos si heredes non fuerint ad inuicem substituimus, ita quod pars morientis vel morientium alie viue remanenti vel aliis viuis remanentibus reuertatur. Et si forsitan aliqua predictarum filiarum nostrarum vel aliorum filiorum supradictorum nobis heredes non fuerint, vel fuerint et omnes sine liberis legitimi conjugii obierint quandocumque, substituimus ipsis dictum nobilem Sancium virum nostrum in ducentis libris dicte monete tantum. Et totum residuum hereditatis per nos delate ipsis filiabus et filiis nostris supradictis, volumus et ordinamus ipsum nobilem Sancium virum nostrum tenere et possidere de tota vita sua, et fructus ipsius hereditatis volumus esse suos; et post obitum ejus fieri et construi de ipso residuo pro ut sufficerit, unam capellaniam siue vnum beneficium clericale ad honorem Dei et beati Jacobi apostoli dicti de Galicia, ita quod ad opus ipsius beneficii emantur xx. libre censuales et rendales, que presbitero ipsum beneficium deseruienti quolibet anno tradantur. Quod

beneficium, et ecclesia in residuo si aliquid superauerit, quod volumus dari ad missas canendas pro anima nostra et parentum nostrorum, ipsis filiabus nostris et aliis filiis et filiabus nostris predictis substituimus et nobis heredes instituimus in dicto casu. Volentes quod si casus accideret quod dicta capellania fieret, quod haberet jus patronatum ipsius ille vel illi quem vel quos dictus vir noster eligeret.

Et hec est ultima voluntas mea quam laudamus et concedimus et volumus valere jure testamenti, que si non valet vel non valebit jure testamenti saltem valeat jure codicillorum, vel alio jure vltime voluntatis quo valere possit. Actum est hoc Majoricarum decimo kalendas augusti anno Domini M.º CCC.º xlº secundo. Sig † num nostri Saure uxoris dicti nobilis Sancii de Majoricis predictae, que hec laudamus, concedimus et firmamus.

Testes hujus testamenti seu hujus vltime voluntatis, vocati et rogati sunt hii qui secuntur: Petrus Net, Guiliermus Alanyani, Franciscus Regalis, Jacobus Cardona presbiter, Jacobus de Podio presbiter, Franciscus Camarada presbiter. Petrus Masdela et Jacobus Costa presbiter.

Sig † num Guillermi Vedelli junioris, notarii publici Majoricarum, qui hec scribi fecit et clausit.

E. AGUILÓ.

UN PRÉSTECH dels habitants de Mallorca a Jaume III

(1339)

En la Lletra Real que més abaix trascrivim, no sols participa Jaume III a n-els Jurats y prohombres de Mallorca haver prestat homenatge a Pere IV d' Aragó, a Barcelona, lo qual es ben sabut y conegut, sino que los manifesta que, necessitant diners pel viatge fet a n-aquella ciutat y pel que pensava realisar dirigintse, per veurer Sa Santetat, a Avinyó, en companyia del referit Pere IV, trametia a la nostra Illa el Tesorer Real y el Procurador, a fi d' obtenir per medi de préstech mutuari la suma que li era precisa.

Pochs anys après, quant el Rey aragonès s' apoderá de Mallorca, los interessats a n-aquell préstech, desitjant la seguritat de lurs crédits, li degueren presentar l' esmentada Lletra, ja que havia regonegudes les obligacions contretes en

temps del govern de Jaume III o de sos antecessors. Probablement per dit objecte, el mateix die del retorn de Pere IV a Catalunya se tregué un trellet de la repetida Lletra, que es el que copiam, el qual ostentava el segell major del Bal·le de la ciutat de Mallorca y estava signat pels tres Notaris Bernat Artich, Miquel de Monsó y Dalmau Morató.

Hoc est translatum sumptum fideliter a quadam littera papirea per illustrem dominum Jacobum Dei gratia olim regem Maioricarum missa venerabilibus juratis et probis hominibus ciuitatis Maioricarum, clausa in dorso eiusdem et sigillo secreto cere rubee dicti olim domini regis, vt prima facie apparebat, sigillata, cuiusquidem littere exterior titulus talis est: fidelibus et dilectis nostris juratis ac probis hominibus ciuitatis Maioricarum: tenor vero intrinsecus dicte littere sic se habet: Rex Maioricarum: Quia multis et diuersis magne auctoritatis viris in iure peritis ad renouandum cum illustri principe rege Aragonum qui nunc est transactionem que facta dudum fuit inter illustres dominos, bone memorie, Petrum, regem Aragonum, et Jacobum, auum nostrum, regem Maioricarum, germanos, super regno et terris nostris, et postea renouatam per successores ipsorum fratrum et per nos ad hoc tunc habentes etatem sufficientem, finaliter comperimus de iure nos teneri, ad prefatum dominum regem Aragonum, ad eius vocationem, prouidimus personaliter accedendum, et post aliquos dies quibus cum ipso rege in fraterna recreatione fuimus et sumus die sabbati proxime lapsa dicta transactio per nos et ipsum fuit effectualiter renouata, sic et taliter quod inter nos et ipsum maiorem amorem posse vigere non videmus. Verum cum occasione dicti nostri ac regine consortis carissime aduentus ad prefatum regem magnos sumptus nos facere oportuerit et in breui maiores nos facere conuenerit propter accessum ipsius regis ad dominum papam per terras nostras transituri, in quo viaggio eum associare consensimus ad eius preces, et pro habenda pecunia mutuo a nostris fidelibus Maioricarum quam summe pro premissis indigemus ibi fideles nostros thesaurarium Bernardum Egidii et Michaellem Amarelli procuratorem presentialiter transmittamus, precamur attente, quatenus ipsis nunciis et non minus nostro locumtenenti Maioricarum fidem credulam velitis adhibere super predictis et aliis quibusdam que nostram tangunt conscientiam, que

vobis explicanda duxerint nostri parte, promittentes vobis in nostra fide regia, quod quicquid ex parte nostra vobis super inde per eos promissum et conuentum fuerit ratum habebimus et implere faciemus effectum. Dat. Barchinone vicesimo secundo die mensis iulii anno Domini millesimo trecentesimo tricesimo nono.

